





B. AHASVERVS FRIT.  
SCHIVS.  
*Ex. 243.*  
CANCELLARIUS RVDOLPHO-  
POLITANVS,



*iuris, & ciuilis prudentiae studia rite,  
& religiose tractaturis,  
coniunctisque cum sanctioris litte-  
ratulac, & boni, piique moris cultura  
impensiore*

### EXEMPLVM,

*sub finem lustrationis anniuersariae*

*ILLVSTRIS GRMNASII GOTHANI,  
& missionem alumnorum supremi ordinis ad academias,  
publicis sermonibus valedicentium*

*SELECTANORVM*

*IOANNIS GVILIELMI CONRADI,*

*PFERDINGSLEBIENSIS,*

*ERNESTI FRIDERICI FRVAVF,*

*GOTHANI,*

*ERNESTI MULLER,*

*WALLHVSANI,*

*commendandum*

*proponitur.*

*RECTORE*

*GOTHOFREDO VOCKERODT.*

*GOTHAE, LITTERIS REYHERIANIS.*

III.



585 vi



\*\*\*



Heologorum memorias VVittenii exemplo  
cum scripsisset magni nominis, & breuis vitae theologus,  
B. PIPPINGIVS, FRITSCHIANAM adiecit, quamuis lau-  
datus in fronte huius tabulae ICTVS ciuili munere fun-  
ctus sit, illustraueritque iuris publici, ciuilis, & ecclesiastici  
scientiam insignibus commentationibus. Omnino tamen  
meretur istum locum propter singularia merita de re CHRI-  
STIANA, ET EVANGELICA, a pacatorum temporum,  
in quae post dura iuuentutis initia ILLE incidit, vitiis, & publici moris deprava-  
tione vindicanda, detergendaque maxime labe ab euangelicae veritatis professio-  
ne, tanquam haec a bonorum operum, & pietatis studio sit alienior, & sanctis  
moribus contraria: quod huius inimici piis confessoribus audacter iuerunt expro-  
bratum, cum impedire hi non potuissent, quo minus humani ingenii vitio impiae  
superstitutionis fuga quosdam abstulerit in contrarium, impuleritque ad solutioris  
moris licentiam, nec cautius extra claustra degerent clerici diuinam veritatem pro-  
fessi, quam intra eadem vici fuerant agere, dum minus caste viuentium nequi-  
tia dissimulari poterat, & occultari: cumque iidem omni vere, & pie docendi con-  
tentione non illico omnem expugnauissent seculi, quo vtendum erat, vitiositatem,  
externique moris corruptelas; dandumque aliiquid esse temporum ingenio censuif-  
sent, quibus nec litterarum, & liberalium artium studia sine omni gentilis vanita-

tis

61

tis contagio instaurari ex ipsis fontibus, profanorum videlicet autorum monumentis, potuisse visa sunt, nec restitui oppressus clerica, & monastica superstitione cultus humanus, & legitimus coniugiorum usus sine omnibus lenociniis, etiam si a solutionis moris labe non intactis. Et sane inualuerat infestus bonis moribus error popularis, atque opinio tam peruagata, quam pestilens, licere sanctioris litteraturae curriculum non ingressis ex instituto, & diuini verbi studium non professis agere liberius: viris non clericis, vel theologis non incumbere adeo vacare piis meditationibus, vel impensiorem dare operam diuinæ veritati nesciæ, vitaque exigendæ ad exactam pii, sanctique moris legem: politicis excusatum fore usum moris publici, etiam si ab integritate præscriptionis diuinæ, & frugalitate CHRISTIANA abeuntis, cui religiosius, & curatius custodiendæ ciuilium negotiorum moles ut plurimum obsteret. Corrupta haec hominum de seculi nostri studiis litterariis iudicia cum sanare B. FRITSCHIVS ex instituto adgredetur scripta PRAENESI ad viros politicos, atque & hos ad pias meditationes, & sacras lectio-nes luculentis rationibus, sanctorumque virorum recentioris non minus, quara veteris aequi, autoritate excitaret, minus explodebatur pius eius conatus; idque non solum ob ingenii, & doctrinae famam, quam doctissimæ commentationes de omni iuris genere illi conciliauerant tantam, ut ipsi Conringio admirandus, & dono di-  
vino praeditus videretur: nec non propter singularem virtutis opinionem, quæ consecuta erat fugientem splendidas fortunæ accessiones, vniue hero illustri fi-  
dem semel addictam ad finem vitae probantem; sed quod tunc etiam non deerant magnaæ autoritatibus, & spectatissimæ integritatis viri, idem vulgatis scriptiōnibus inculcantes, vrgentesque, B. VITVS LVDOVICVS DE SECKENDORF, CHRISTIA-  
NAE pietatis officia nobilibus, atque ARMANDVS BVRBONIVS DE CONTI ipsis priuipibus accommodantes, & si salvi esse velint, exacte tuenda, & custodienda esse contendentes. Cum ipsi cordi esset, quod suadebat aliis, conscius autem, usu que doctus, quantæ molis rem agitaret, & quam difficulter expugnaturus esset in-  
veteratam consuetudinis depravationem, morisque publici contumaciam: seque  
oleum, & operam perditur in veteranis ardilionibus a seculi amore ad frugem  
reuocandis: cura potior stetit in pueris rectius instituendis. Eo pertinet consi-  
lium eius Rudolphopoli, & Neostadii typis exscriptum de impensiore ludimagistro-  
rum industria in pueris ad pietatis studium excitandis: de officio tironis academicī  
quoad vitam, mores, & studia: nec non libelli de verorum Christi cultorum pia  
conuersatione, Ienae; ac de tentanda emendatione mutua per pia colloquia, Fran-  
cofurti: præcipue autem LVIII. quaestiones decisiæ de principiū, & horum mi-  
nistrorum officio in pietatis Christianæ studio adiuuando, Ienae editæ. Desti-  
nata autem sua prouidentissime, & exacta ad euangelicae veritatis integritatem ra-  
tione perficere studuisse, ostendit summatis scripta, & vulgata eius consultatio de

legi-

legitimis pietatis, & virtutum Christiano homine dignarum subsidiis, & adiumentis: de officio parentum in cognitione amoris Christi teneris inculcanda: demonstratio admirandae virtutis sanguinis Christi, Ienae, & Lipsiae typis exscripta: nec non gratiae diuinæ, vñici fontis omnium Christianorum officiorum; vt & fidei, caritatisque omnium piorum operum causæ vñicae. Nec piguit BEATVM, vt idoneum in recta pietatis Christianæ ratione praescribenda antesignanum haberet, D. Lutheri yniuersum in Genesin commentarium excutere, notatasque insigniores sententias exhibere typis descriptas, nec Taulerianam, Arndianamque docendi rationem summatim repraesentare. Rectam, & apostolicae praescriptioni consentaneam eius de finibus fuisse sententiam, aperunt quadripartita colloquia animæ Lipsiae, Ienae, & Luneburgi typis iterata, nec non analæcia sacra, & moralia, libellique de laude Dei, de gloria eius, & singularis demonstratio, Christiani esse ad solam Dei gloriam omnia referre. Et quamvis nimis rigidus videri potuerit in peccatis omnis generis, & ordinis hominum castigandis: vnde quibusdam, præsertim dubiae virtutis hominibus, supernacula vifa fuit opera FRITSCHIANA in repraesentandis tot PECCANTIBVS adhibita: prouocare tamen pie, & religiose destinandi, & agendi voluntatem maluisse, quam incutere censuræ seueritate, documento sunt tot libelli diuinarum rerum desideria mira dicendi suauitate, & comitate in legentibus accendentes, & delinquentes: XLI. meditationes de nomine IESV: de excellentia, & nobilitate verorum Christianorum: de coelo in terra: de vi amoris Christi, nec non odiae, & hymni implendis DEI, & CHRISTI amore sensibus interioribus accommodati. Quae rei Christianæ offenditionibus, & corruptelis popularibus opposuit, maxime quae in scholis, & academiis dominantur, obstantque, quo minus litteris operantes ad frugem reuocari, atque nec pii, nec solide docti reddi possint, otiandi, potandi, infolescendi, digladiandique licentia acti in transuersum, digna sunt tantæ celebritatis ICTO monita, & consilia, merito ex pendenda ludorum magistris, & academicis doctoribus, qui circumspicioendo, & amplectendo omnia publici mali remedia amoliri a se voluerint culpam tantorum damnorum, quae cum pereuntibus patitur publica res, & CHRISTIANA. Agitatus adeo coelestium rerum curis, cogitationibusque animus, distractumque assiduitate commentandi de pietatis colendae rationibus ingenium vix videbatur sufficere tractandis rebus aliis, multo minus ciuium negotiorum varietati, minime iuris omnis generis fontibus inuestigandis, illustransque capitibus, quorum usus in patriæ curiis, & foro frequentior est, quæque ideo magis controversiis obnoxia sunt. Non solum enim sacrorum iura explananda statuit: quac pio eius proposito vteunque respondere viderentur: ediditque viri doctissimi, Antonii Fabri, qui ante eum CANCELLARIVS SCHVVARTZVRGICVS fuerat, libros de religione regenda in republica cum suis animaduersionibus, nec non, cum sua de iure visi-



LW

visitandi ecclesiastico commentatione plures similis argumenti scriptiones, Gebhardi, Conringii, Hauemanni, Vnrathii, VVeberi, Crolopii, Schützii, Calouii, Lentzii: qui etiam CANCELLARI<sup>H</sup> nomine supremae curiae Schyvartzburgicae praefuerat, tanquam in fatis esset, vt ILLVSTRISSIMA illa domus spectatoris virtutis virorum ministerio frueretur; sed, ex quo in ILLVSTRISSIMI alumni sui, ALBERTI ANTONII, cui adolescenti magister, & itineris comes datus fuerat, vsum conscriperat, vulgaueratque IVRIS PRUDENTIAE PUBLICAE MANVALE, atque hunc libellum magnus, & soleris iuris publici doctor Geneuensis, Phil. Andreas Oldenburger, tanti fecerat, vt in suarum scholarum vsum denuo ederet: pluribus nostrae magnae molis, nec minoris dexteritatis indicia prae se ferentibus commentationibus vniuersum ius publicum copiosissime explicare, atque non pauca obscuriora capita excutere adgressus est; atque in hoc curriculo tam feliciter est versatus, vt FRITSCHIANO nomine inter pragmaticos illius aei viros nihil fuerit celebrius, nec rectius suis se rebus consulere bibliopolae posse crederent, quam si illo praescripto merces suas redderent vendibiles, confugerentque in moliendis maioris impensae operibus ad B. FRITSCHIVM, commodataque sibi ipsius opera, studio, & ingenio beatioris, & expeditioris nundinationis spem confirmarent. Ita cum tercia vice THESAVRVS IVRIS Arnoldi de Reyger exscribendus esset, non alio nomine commendatum apparere voluit bibliopola Felgibelius. Nec defuerunt, qui ad extrudenda magnae molis volumina sumtus liberalissime suppeditabant, quoties BEATVS singulare iuris caput, flumiaticum, foreuale, cambiale, plenus, planiusque exponendum sibi proposuerat. Adeo qui alias politicos viros a negotiorum secularium aestu ad pias meditationes, atque a legendis variis chartis aetuum, rationum, recessuum, regalium, registrorum ad S. BIBLIA tam serio reuocauit, ipse his immersus, & ciuilibus negotiis obrutus fuisse videtur. Accedebant non vnius curiae caussae cognoscendae, & agitandae curae senatoriae, ex quo ab ILLVSTRIS-SIMI alumni sui museo, & contubernio ad collegia suprema erat abstractus. In DICASTERIO desiderabatur eius fides, & dexteritas: CONSISTORIVM FRITSCHIO carere non poterat: &, quod mireris, aerarium provinciale eius cura per triginta annos ita fuerat administratum, vt pene nescirent NOBILES, PROVIN-CIALESQUE, quibus verbis extollerent FRITSCHII sui fidem, & industriam, cum ILLVSTRISSIMO PATRIAE PATRI hanc remunerandam commendarent. Inter haec tamen scripta, & vulgata sunt omnia, quae B. FRITSCHIVM ostendunt totum addictum rerum coelestium curis, cogitationibusque, versatum in adscensione mentis, sive sacris suspiriis ad Iesum, gratiae thronum, mulieris Cananeae exemplo: nec non in odio, & contemnitu sui: de qua pie agendi, viuendique via singulares confecit libellos, sancti huius propositi diserta significatione inscriptos. Qui sane in aestu negotiorum ciuilium meditati, scriptique libelli satis demonstrant, quam

quam vtilis sit pietas ad omnia, & quam non ineptos reddat, & inhabiles ad secularia negotia tractanda curatior, & religiosior meditatio, piusque usus rerum diuinorum? quam non obstet euangelica IESV CHRISTI cognitio, imitatioque ad honorata principum ministeria prouehendis, & rite versaturis in curiis? Verbo: quam probabilis fieri possit *politicus*, qui verus, & *practicus* fuerit *theologus*? quam non obliterata, & interclusa sint nostra tempestate vestigia reipublicae muneribus praecclare functorum sanctorum Dei seruorum, cultorumque cordatorum veterum, JOSEPHI, MOSIS, SAMVELIS, DAVIDIS, SALOMONIS, DANIELIS, sociorumque; modo non desint, qui ea quaerere, & bona fide calcare instituant? quantaque vis sit diuini luminis, admissi in agitando per artium liberalium curricula ingenio, & bonae mentis cultura? quam vere Augustinus dixerit, noscentes DEVUM nosse omnia DEI, opera videlicet, viasque sapientiae diuinae, humanaeque, quas mite, & propitium mortalibus NVMEN his voluit patefieri? quam non coecutire possint in huius vitae negotiis, studiis & munib[us] legitime tuendis, quibus aeternae vitae sponsor, & assertor, IESVS CHRISTVS, lux fuerit, via, veritas, & vita, tribuens veris, fidelibusque suis cultoribus omnem humanam rationem supergressum auspicium diuinum, animae pacem: cuius beneficio rectius secularia negotia tractari, & expediri possunt, quam sibi relieti humani ingenii contentione quacunque, quamvis omnium artium humanarum praesidiis nitentis, mouentisque omnia. Firmioribus septus praesidiis B. FRITSCHIVS, quae diuinorum rerum pertinax meditatio dabat, confirmabatque, cum in ciuilium rerum actu emineret, luceretur in curiis Schvartzburgicis, tantam consecutus est celebritatem, vt non solicitaretur modo ad plurim academiciarum, Ienensis, Altdorfinae, Giesensis, VVittebergensis, & Heidelbergensis cathedras; sed & magnorum principum curias ornandas, admirandisque ingenii sui opibus illustrandas. Inter hos & PIVS ERNESTVS: quantus aestimator virorum publice vtilium, quantusque fautor bonorum? cum B. FRITSCHIVM omni studio suum esse, & inter honorati ministrii praecepius proceres cooptatum voluisse; NOSTER etiam non dissimulauerit, quanti hunc principem faceret, utpote quem in boni principis exemplum peculiari libello scripto suspiciendum proposuit: ita pium, & ILLVSTRISSIMI alumni sui studiosum se praebuit, vt, quam hic tribuerat in aula Schvartzburgica, primam melioris fortunae sedem retinere per omnem vitam maluerit, & ex hoc secessu Thuringico scriptis commentationibus vniuerso orbi eruditio, posteritatique recte consulere, quam spectare pretiorum huius vitae accessiones, & oblata consecutari auctoramenta, etiamsi, sicut in ERNESTINA aula, satis opportuna, piaeque B. VIRI destinationi non contraria. Eiusdem pietatis FRITSCHIANAE pignus, & indicium, studiumque singulare grati pro beneficiis acceptis animi testificandi spectatum est in colenda, quoad vixit, Krulliorum nobili apud Hallenses familia, in qua in-

inter d  
B. VIR  
idque e  
est, sub  
tumqu  
vndecu  
conced  
AB HE  
RIS M  
tus GL  
alumn  
ciliaui  
Itari c  
GICI  
etu vi  
adorn  
mini, E  
POLIT  
lem Ba  
tutis c  
debatu  
sunt,  
aegre  
per in  
que be  
fanior  
adoles  
parent  
priua  
adeo  
occup  
vteret  
CELL  
torib  
quale  
bit, i  
miser  
que a

LIV

inter dura iuuentutis initia hospitium inuenerat, & victum liberalalem. Non satis  
B. VIRO fuit, ita pro illa liberalitate filiorum excitasse ingenia ad rectiora studia,  
idque eo successu, vt ille ipse, cuius filia ILLVSTRIS VVERTHERIAE domus pars  
est, sub condendam Halae academiam, copiosissima eruditionis fama floreret, appara-  
tumque suum litterarum exquisitissimum, quem impensa magna patrimonii parte  
vnde cunque collegerat, nouis professoribus vtendum, fruendumque liberalissime  
concederet; sed ex quo potitus sponsa nobili, filia ILLVSTRIS ICTI, LAVRENTII  
AB HENNINGEN, COM. PALAT. ET CONSILIARI CAES. MAI. ELECTO-  
RIS MOGVNT. COMITISQVE HAZFELDENSIS, praefectique supremi comita-  
tus GLEICHENSIS, atque dynastiarum Blanckenhainensis, & Cranichfeldensis,  
alumno olim suo, alteri filio dilectae familiae Krolliorum, vxoris suae sororem con-  
ciliauit in sponsam, matronam singularibus virtutibus ornatam, atque in re fami-  
liari constitienda tam solerter, & prouidam, vt, quoties DVCATVS MAGDEBVR-  
GICI proceres Halae comitia celebrarent, principes eorum nullo alio hospitio, & vi-  
ctu vti vellet, quam huius matronae prouidentia in magnificis Krullianis aedibus  
adornato, quae tunc & patebant ILLVSTRIVM nouorum academicorum ciuum lu-  
mini, BARONI DE METTERNICHT, PRINCIPALIS nunc AVLAE RVDOLPHO-  
POLITANAЕ CANCELARIO, & CONSILIARIO INTIMO, tali politico, qua-  
lem B. FRITSCHIVS optat, atque ideo hoc dignissimo successor. Ad tantam vir-  
tutis celebritatem, agendique autoritatem quomodo emerserit BEATVS, non vi-  
debat praetereundum, si tabula haec istius rei mentionem admitteret. Non de-  
sunt, quibus tantus virtutis, & fortunae splendor, vitaeque ornamenta placent; sed  
aegre illud curriculum ingrediuntur, ex quo eniti ad ista oportet. Primos annos  
per inertiam, & lasciviam transmittere, & eminere tamen per omnem vitam, frui-  
que beatorum hominum opportunitatibus pro libidine multis cordi est: quos ad  
saniorem mentem reuocare posse videtur curatior FRITSCHIANAE pueritiae, &  
adolescentiae contemplatio. Bimulus ex patria vastata in Varisciam a fugitiis  
parentibus traductus, tractu temporis sexies in hostium manum incidens vestibus  
priuatus est, decies vrgentem hostium impetum fuga incommodissima declinavit,  
adeo vt post dirutos muros inter rudera, & dumeta latebrae circumspicienda, &  
occupanda fuerint; inter haec ter lapsu periculoso pene extinctus. Et quamuis  
vteretur Halae liberalissimo praeceptore, B. GVEINTZIO, hospite magnifico, CAN-  
CELLARIO KRVLLIO, in academiis beneficis ingenii, & studiorum suorum fau-  
toribus: redimenda tamen fuit horum gratia seruiendo, & pueros instituendo:  
quale hominum genus, quod Tacitus Iudeos inter ORIENTIS populos fuisse scri-  
bit, in beatorum familiis ultima, & despectissima seruientium pars esse solet. Quam  
misericordiam cum non blanditiis, & sacrilegis lenociniis; sed rectis studiis, bonarum-  
que artium impensiore cultu NOSTER sibi redderet tolerabilem, consecutus est,

vt



ut res domi angusta non obstante eius virtuti, emergetque per omnes obstantes difficultates. Vix ergo illustri exemplum omnis generis iuuentuti studiosae proponi potuisse, quam FRITSCHIANVM: quod non temere initio laudatus PIPPINGIVS optat ipsius opera descriptum extare, & excusis tot epistolarum doctrinorum sui temporis virorum ad ipsum scriptarum voluminibus, vulgatisque inde memorandis casibus illustrari. Utinam & haec publica rei desideratissimae mentione venerandae FRITSCHIANAE posteritatis prouocet voluntatem, ut ne denegentur publicae luci, quod ex B. VIRI supellestile edi commode potest. Interim peruectiganda oratoribus, quibus illustrationis anniuersariae finis solenni ritu dedicandus est, dedi R. VIRI scripta, quae ad manus fuerunt, & inde eruecte iussi FRITSCHIANAE pietatis, eruditionis, & virtutis documenta, quae publice iactari possint in exemplum. Quorum

*primus*

B. AHASVERI FRITSCHII

dura iuuentutis initia, & studia :

*alter*

excellentem iuris vniuersi scientiam,  
copiosissimis commentationibus illustratam:

*postremus*

merita de re CHRISTIANA, & euangelica  
pietate scribendo amplificata:

quisque pro captu suo laudabit, atque priores duo ILLVSTRI Gothano Gymnasio valident. Cuius PATRONI, & FAVTORES vt declamantium pietati favent, praesentesque & haec solennia anniuersaria ornent, idque crastino die, hora

VII. ante meridiem in CLASSIS I. auditorio, qua par est, humanitate,  
atque obseruantia oro, quaeisque. P. P. X. AVGVSTI,

CIC 1500 XXVII.

OS ) o ( S

Pon ZB 2373 GK





B.I.G.

Farbkarte #13



AHASVERVS FRIT.  
SCHIVS,  
CANCELLARIUS RUDOLPHO-  
POLITANVS,

LHK  
Zb  
2395

s, & ciuilis prudentiae studia rite,  
& religiose tractaturis,

iunctisque cum sanctioris litte-  
ratuſae, & boni, piique moris cultura  
impensiore

EXEMPLVM,

sub finem lustrationis anniuersariae

ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI,  
missionem alumnorum supremi ordinis ad academias,  
publicis sermonibus valedicentium

SELECTANORVM  
DANNIS GVILIELMI CONRADI,  
PFERDINGSLBENSIS,  
ERNESTI FRIDERICI FRVAVF,  
GOTHANI,  
ERNESTI MVLLER,  
WALLHVSANI,  
commendandum

proponitur

RECTORE  
OTHOFREDO VOCKERODT.

GOTHAE, LITTERIS RETHERIANIS.